


ORDO CONFIRMATIONIS


ORDO CONFIRMATIONIS

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II INSTAURATUM AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO CONFIRMATIONIS

EDITIO TYPICA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

Nova impressio, 2003

Tel. 06.6988.5003 - Fax 06.6988.4716

ISBN 88-209-0312-1

www.libreriaeditricevaticana.com



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 800/71.

DECRETUM

Peculiare Spiritus Sancti donum, a Christo Domino promissum et super Apostolos die Pentecostes effusum, ipsi Apostoli eorumque successores Episcopi baptizatis hominibus per Confirmationis Sacramentum tradiderunt. Cuius ope christianæ vitæ initiatio ita perficitur, ut fideles, superna corroborati virtute, Christi testes sinceri, tum verbis tum exemplis evadant, itemque arctiore cum Ecclesia vinculo astringantur.

Quo autem clarius « huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana » elucesceret, Œcumenicum Concilium Vaticanum II decrevit, ut ritus Confirmationis recognosceretur.[1]

Nunc vero, huiusmodi opere absoluto atque approbato a Summo Pontifice PAULO PP. VI per Constitutionem Apostolicam *Divinæ consortium naturæ,* die 15 augusti 1971 signatam, Sacra Congregatio pro Cultu Divino, novum Ordinem Confirmationis, qui pro Ordine in Pontificali et Rituali Romano antehac usitato substituatur, evulgandum curavit, eiusque editionem, quæ nunc exhibetur, typicam esse declarat.


Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 22 augusti anni 1971.

ARTURUS Card. TABERA
Præfectus

A. BUGNINI
a Secretis

[1] Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium,* n. 71, A.A.S. 56 (1964), p. 118.



CONSTITUTIO APOSTOLICA
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

DIVINÆ CONSORTIUM NATURÆ, quo homines per Christi gratiam donantur, similitudinem quandam præ se fert ortus vitæ naturalis, eius incrementi et alimonii. Etenim Baptismo renati fideles Confirmationis Sacramento roborantur ac tandem in Eucharistia cibo vitæ æternæ vegetantur, ita ut hisce initiationis christianæ Sacramentis thesauros vitæ divinæ magis magisque percipiant atque ad perfectionem caritatis progrediantur. Recte quidem hæc verba sunt scripta: *caro abluitur, ut anima emaculetur; caro unguitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu inluminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*[1]

Concilium vero Œcumenicum Vaticanum II, pastoralis sui muneris conscium, hisce Sacramentis initiationis peculiares curas impendit, id præscribens, ut eorum ritus apte recognoscerentur atque fidelium captui magis accommodaren-

[1] TERTULLIANUS, *De resurrectione mortuorum,* VIII, 3; *CCL,* 2, p. 931.

tur. Cum igitur *Ordo Baptismi parvulorum*, ex eiusdem universalis Synodi præcepto in novam formam redactus et nostro iussu editus, iam sit in usum receptus, expedit nunc ritum Confirmationis vulgari, ut unitas initiationis christianæ in suo lumine collocetur.

Re quidem vera modo recognoscendo, quo hoc Sacramentum celebraretur, per hosce annos opera et studium diligenter navabatur; scilicet eo mens intendebatur, *ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceret.*[2] Vinculum autem, quo Confirmatio cum reliquis eiusmodi Sacramentis sociatur, non solum ex eo apertius innotescit, quod ritus arctiore nexu dispositi sunt, sed apparet etiam e gestu et verbis, quibus Confirmatio ipsa confertur. Sic enim fit, ut ritus ac verba eiusdem Sacramenti *sancta, quæ significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit.*[3]

Ad eum finem Nos in hac recognitione includi voluimus etiam ea, quæ ad ipsam essentiam ritus confirmandi pertinent, per quem christifideles ut Donum accipiunt Spiritum Sanctum.

In Novo Testamento declaratur, quomodo Spiritus Sanctus Christo ad munus messianicum implendum adfuerit. Iesus enim, baptismate Ioannis suscepto, vidit Spiritum descendentem in ipsum (cfr. *Mc* 1, 10), qui mansit super eum (cfr. *Io* 1, 32). Ab illo vero Spiritu est impulsus, ut, eiusdem præsentia et auxilio innixus, Messiæ ministerium palam aggrederetur. Cum Nazarethanum populum salubriter erudiret, Isaiæ oraculum *Spiritus Domini super me* ad se referri dicendo adumbravit (cfr. *Lc* 4, 17-21).

[2] Cfr. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, 71, A.A.S. 56 (1964), p. 118.
[3] *Ibid.*, n. 21, p. 106.

Promisit deinde discipulis suis Spiritum Sanctum ipsos quoque adiuturum esse, ut etiam coram persecutoribus fidem audenter testarentur (cfr. *Lc* 12, 12). Pridie autem quam pateretur, asseveravit Apostolis se missurum esse a Patre Spiritum veritatis (cfr. *Io* 15, 26) qui cum iis *in æternum* maneret (*Io* 14, 16) iisque auxilio esset ad perhibendum testimonium de ipso (cfr. *Io* 15, 26). Demum postquam resurrexit, Christus pollicitus est proximum Spiritus Sancti descensum: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos et eritis mihi testes* (*Act* 1, 8; cfr. *Lc* 24, 49).

Re quidem vera die festo Pentecostes Spiritus Sanctus mirabili prorsus modo descendit in Apostolos, cum Maria Matre Iesu cœtuque discipulorum congregatos; qui ita tum eo *repleti sunt* (*Act* 2, 4), ut divino impetu afflati *magnalia Dei* annuntiarent. Petrus autem Spiritum, qui sic super Apostolos descendit, donum ætatis messianicæ habuit (cfr. *Act* 2, 17-18). Tunc baptizati sunt ii, qui prædicationi apostolicæ crediderunt, qui et ipsi acceperunt *donum Spiritus Sancti* (*Act* 2, 38). Ex quo tempore Apostoli, Christi voluntatem implentes, Spiritus donum, quod Baptismi gratiam compleret, neophytis manuum impositione impertierunt (cfr. *Act* 8, 15-17; 19, 5 sq.). Sic factum est, ut in Epistula ad Hebræos, inter primæ institutionis christianæ elementa, recenseretur doctrina baptismatum et impositionis quoque manuum (cfr. *Hebr* 6, 2). Quæ manuum impositio ex traditione catholica merito agnoscitur initium Sacramenti Confirmationis, quod gratiam pentecostalem in Ecclesia quodam modo perpetuat.

Hinc patefit proprium Confirmationis momentum ad sacramentalem initiationem, qua fideles *ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporantur et configurantur.*[4] In Baptismo

[4] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad Gentes divinitus*, n. 36, A.A.S. 58 (1966), p. 983.

neophyti accipiunt remissionem peccatorum, adoptionem filiorum Dei necnon characterem Christi, quo Ecclesiæ aggregantur ac primum participes fiunt sacerdotii Salvatoris sui (cfr. *1 Petr* 2, 5 et 9). Per Confirmationis Sacramentum Baptismo renati Donum ineffabile, ipsum Spiritum Sanctum, accipiunt, quo *speciali ... robore ditantur,*[5] atque, eiusdem Sacramenti charactere signati, *perfectius Ecclesiæ vinculantur* et *ad fidem tamquam veri testes Christi verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur.*[7] Demum Confirmatio cum Sacra Eucharistia ita cohæret,[8] ut fideles, iam Sacro Baptismate et Confirmatione signati, plene per participationem Eucharistiæ Corpori Christi inserantur.[9]

Spiritus Sancti doni collatio iam ab antiquis temporibus in Ecclesia variis ritibus est peracta. Qui quidem in Oriente et in Occidente multiplices mutationes habuerunt, ita tamen ut collationis Spiritus Sancti significatio servaretur.

In pluribus ritibus Orientis iam antiquitus præponderasse videtur, ad conferendum Spiritum Sanctum, ritus chrismationis, a Baptismo nondum dilucide distinctus.[10] Qui ritus hodieque apud plurimas ex Orientalibus Ecclesiis viget.

In Occidente testimonia antiquissima circa christianæ initiationis partem, in qua postea distincte Confirmationis Sacramentum perspectum est, inveniuntur. Etenim post ablutionem baptismalem et ante refectionem eucharisticam, plura peragenda indicantur, ut unctio, manus impositio et consi-

[5] CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium,* n. 11, A.A.S. 57 (1965), p. 15.
[6] *Ibid.*
[7] *Ibid.*, cfr. Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 11, A.A.S. 58 (1966), pp. 959-960.
[8] Cfr. CONC. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 5, A.A.S. 58 (1966), p. 997.
[9] Cfr. *Ibid.,* pp. 997-998.
[10] Cfr. ORIGENES, *De Principiis,* I, 3, 2; *GCS* 22, p. 49 sq.; *Comm. in Ep. ad Rom.,* V, 8; *PG* 14, 1038; CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catech.* XVI, 26; XXI, 1-7: *PG* 33, 956; 1088-1093.

gnatio,[11] quæ continentur tam in documentis liturgicis [12] quam in multis testimoniis Patrum. Exinde sæculorum decursu quæstiones dubitationesque ortæ sunt de iis, quæ ad essentiam ritus confirmandi certe pertinerent. Interest vero quædam saltem commemorare eorum, quæ inde a sæculo tertio decimo in Conciliis Œcumenicis necnon in Documentis Summorum Pontificum non paulum contulerunt ad momentum chrismationis illustrandum, ita tamen, ut impositio manuum non oblivioni daretur.

Innocentius III, Decessor Noster, hæc scripsit: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur.*[13] Innocentius IV autem, item Decessor Noster, memorat Apostolos tribuisse Spiritum Sanctum *per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat.*[14] In Professione fidei imperatoris Michaelis Palæologi, quæ in Concilio Lugdunensi II lecta est, mentio fit de Sacramento Confirmationis, quod *per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando*

[11] Cf. TERTULLIANUS, *De Baptismo,* VII-VIII: *CCL* 1, p. 282 sq.; B. BOTTE, *La tradition apostolique de Saint Hippolyte*: Liturgiewissenschaftliche Quellen und Forschungen, 39, Münster in W., 1963, pp. 52-54; AMBROSIUS, *De Sacramentis,* II, 24; III, 2, 8; VI, 2, 9: *CSEL* 73, pp. 36, 42, 74-75; *De Mysteriis,* VII, 42: *ibid.,* p. 106.

[12] *Liber Sacramentorum Romanæ Æclesiæ Ordinis Anni circuli,* ed. L. C. MOHLBERG (*Rerum Ecclesiasticarum Documenta, Fontes, IV*), Roma 1960, p. 75; *Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar,* ed. H. LIETZMANN (Liturgiegeschichtliche Quellen, 3), Münster in W., 1921, p. 53 sq.; *Liber Ordinum,* ed. M. FÉROTIN (*Monumenta Ecclesiæ Liturgica, V*), Paris, 1904, p. 33 sq.; *Missale Gallicanum Vetus,* ed. L. C. MOHLBERG (*Rerum Ecclesiasticarum Documenta, Fontes, III*), Roma, 1958, p. 42; *Missale Gothicum,* ed. L. C. MOHLBERG (*Rerum Ecclesiasticarum Documenta, V*), Roma, 1961, p. 67; C. VOGEL-R. ELZE, *Le Pontifical Romano-Germanique du dixième siècle, Le Texte, II* (*Studi e Testi,* 227), Città del Vaticano, 1963, p. 109; M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age,* t. 1, *Le Pontifical Romain du XIIe siècle* (*Studi e Testi,* 86), Città del Vaticano, 1938, pp. 247 sq. et 289; t. 2, *Le Pontifical de la Curie Romaine au XIIIe siècle* (*Studi e Testi,* 87), Città del Vaticano, 1940, pp. 452 sq.

[13] *Ep.* « *Cum venisset* »: *PL* 215, 285. Professio fidei ab eodem Pontifice Waldensibus imposita hæc habet: *Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande accipiendam esse censemus*: *PL* 215, 1511.

[14] *Ep.* « *Sub Catholicæ professione* »: MANSI, *Conc. Coll.,* t. 23, 579.

renatos.[15] Decretum pro Armenis, a Concilio Florentino editum, affirmat *materiam* Sacramenti Confirmationis esse *chrisma confectum ex oleo ... et balsamo,*[16] atque, allatis verbis Actuum Apostolorum de Petro et Ioanne, qui manuum impositione dederunt Spiritum Sanctum (cfr. *Act* 8, 17), addit: *Loco autem illius manus impositionis in Ecclesia datur confirmatio.*[17] Concilium Tridentinum, etsi ritum essentialem Confirmationis minime definire intendit, eum tamen solo nomine sacri Confirmationis chrismatis designat.[18] Benedictus XIV hæc edixit: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito Sacro Chrismate seu Oleo Olivarum, Balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formæ verba pronuntiat.*[19]

Multi sacræ theologiæ doctores, harum declarationum traditionumque rationem habentes, defenderunt ad Confirmationem valide conferendam solam unctionem chrismatis, in fronte manus impositione factam, requiri; nihilominus in Ecclesiæ Latinæ ritibus impositio manuum ante chrismationem super confirmandos semper præscribebatur.

Ad verba autem ritus Spiritum Sanctum communicandi quod attinet, est animadvertendum iam in Ecclesia nascente Petrum et Ioannem, ad initiationem baptizatorum in Samaria complendam, oravisse pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum ac tum imposuisse manus super illos (cfr. *Act* 8, 15-17).

[15] MANSI, *Conc. Coll.*, t. 24, 71.

[16] *Epistolæ Pontificiæ ad Concilium Florentinum spectantes,* ed. G. HOFMANN, *Concilium Florentinum,* vol. I, ser. A., pars II, Roma 1944, p. 128.

[17] *Ibid.*, p. 129.

[18] *Concilii Tridentini Actorum pars altera,* ed. S. EHSES, *Concilium Tridentinum,* V, Act. II, Friburgi Br., 1911, p. 996.

[19] *Ep.* « *Ex quo primum tempore* », 52: *Benedicti XIV ... Bullarium,* t. III, Prati, 1847, p. 320.

In Oriente sæculo quarto et quinto prima in ritu chrismationis indicia apparent verborum *signaculum doni Spiritus Sancti.*[20] Quæ verba cito ab ecclesia Constantinopolitana sunt recepta, atque etiamnum ab ecclesiis ritus Byzantini adhibentur.

In Occidente autem verba ritus, Baptismum complentis, usque ad sæculum duodecimum et tertium decimum minus definita sunt. Verum in Pontificali Romano sæculi duodecimi primum occurrit formula, quæ postea effecta est communis: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*[21]

Ex iis, quæ in memoriam revocavimus, liquet in actione confirmandi in Oriente et Occidente, alia sane ratione, primum locum obtinuisse chrismationem, quæ apostolicam manuum impositionem quodam modo repræsentat. Cum autem ea chrismatis unctio spiritualem Sancti Spiritus, qui fidelibus datur, unctionem, apte significet, Nos confirmatam volumus eiusdem exsistentiam et momentum.

Quod ad verba attinet, quæ in chrismatione proferuntur, dignitatem venerabilis formulæ, quæ in Ecclesia Latina adhibetur, æqua æstimatione perpendimus quidem; ei tamen præferendam censemus antiquissimam formulam ritus Byzantini propriam, qua Donum ipsius Spiritus Sancti exprimitur atque effusio Spiritus die Pentecostes peracta recolitur (cfr. *Act* 2, 1-4 et 38). Hanc ergo formulam, fere verbum pro verbo reddentes, accipimus.

[20] Cfr. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catech.* XVIII, 33: *PG* 33, 1056; ASTERIUS, Episcopus Amasenus, *In parabolam de filio prodigo,* in « Photii Bibliotheca », Cod. 271: *PG* 104, 213. Cfr. etiam *Epistola cuiusdam Patriarchæ Constantinopolitani ad Martyrium Episcopum Antiochenum*: *PG* 119, 900.

[21] M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age,* t. 1, *Le Pontifical Romain du XIIe siècle*: (*Studi e Testi,* 86), Città del Vaticano, 1938, p. 247.

Quapropter, ut ritus Confirmationis recognitio ad ipsam etiam ritus sacramentalis essentiam congruenter pertineat, Suprema Nostra Auctoritate Apostolica decernimus et constituimus, ut ea, quæ sequuntur, in Ecclesia Latina in posterum serventur:

SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CONFERTUR PER UNCTIONEM CHRISMATIS IN FRONTE, QUÆ FIT MANUS IMPOSITIONE, ATQUE PER VERBA: « ACCIPE SIGNACULUM DONI SPIRITUS SANCTI ».

Impositio vero manuum super electos, quæ cum præscripta oratione ante chrismationem fit, etsi ad essentiam ritus sacramentalis non pertinet, est tamen magni æstimanda, utpote quæ ad eiusdem ritus integram perfectionem et ad pleniorem Sacramenti intellegentiam conferat. Patet eam manuum impositionem, quæ præcedit, differre a manus impositione, qua unctio chrismatis fit in fronte.

His omnibus de essentiali Sacramenti Confirmationis ritu statutis ac declaratis, *Ordinem* etiam eiusdem Sacramenti a Sacra Congregatione pro Cultu Divino — collatis consiliis cum Sacris Congregationibus pro Doctrina Fidei, de Disciplina Sacramentorum atque pro Gentium Evangelizatione quoad materiam earum competentiæ subiectam, — recognitum, Nos Apostolica Nostra Auctoritate approbamus. Cuius Ordinis, novam formam continentis, editio Latina, statim ut prodierit, editiones vero vulgares, a Conferentiis Episcopalibus apparatæ et ab Apostolica Sede confirmatæ, die, quæ a singulis eiusmodi Conferentiis statuetur, vigere incipient; vetus autem Ordo usque ad finem anni 1972 poterit adhiberi. A die tamen 1 mensis Ianuarii anni 1973 novo tantum Ordine omnibus, ad quos pertinet, erit utendum.

Nostra hæc statuta et præscripta in Ecclesia Latina firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die XV mensis augusti, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.

PAULUS PP. VI

ORDO CONFIRMATIONIS

PRÆNOTANDA

I. De Confirmationis dignitate

1. Baptizati iter christianæ initiationis prosequuntur per sacramentum Confirmationis, quo effusum accipiunt Spiritum Sanctum, qui super Apostolos die Pentecostes a Domino missus est.

2. Hac donatione Spiritus Sancti fideles perfectius Christo conformantur et virtute roborantur, ut testimonium Christi perhibeant ad ædificationem Corporis eius in fide et caritate. Ipsis autem character seu signaculum dominicum ita imprimitur, ut sacramentum Confirmationis iterari nequeat.

II. De officiis et ministeriis in celebratione Confirmationis

3. Ad populum Dei summopere pertinet præparatio baptizatorum ad Confirmationis sacramentum suscipiendum. Pastorum vero est curare, ut omnes baptizati ad plenam initiationem christianam perveniant, et proinde omni cura ad Confirmationem præparentur.

Catechumeni adulti, qui statim post Baptismum Confirmationem sunt recepturi, auxilio fruuntur communitatis christianæ et præsertim institutione, quæ catechumenatus tempore ipsis tribuitur, ad quam operam conferunt catechistæ, patrini et Ecclesiæ localis membra, catechesi necnon celebrationibus ritualibus communibus. Eiusmodi catechumenatus ordinatio opportune aptabitur iis qui, infantes baptizati, ætate solummodo adulta ad Confirmationem accedunt.

Christianorum vero parentum est plerumque de puerorum initiatione ad vitam sacramentalem sollicitos se præbere, tum spiritum fidei in ipsis formando et gradatim augendo, tum eos, ope aliquando eorum institutorum, quæ catecheticam formationem curant, præparando ad fructuosam sacramentorum Confirmationis et Eucharistiæ susceptionem. Quod parentum officium significatur quoque per ipsorum actuosam participationem sacramentorum celebrationis.

4. Curandum erit, ut actioni sacræ natura festiva et sollemnis tribuatur, quam eius significatio pro Ecclesia locali secumfert; quod obtinetur præsertim si candidati omnes congregantur ad communem

celebrationem. Universus autem populus Dei, confirmandorum familiis et amicis atque communitatis localis membris repræsentatus, ad hanc celebrationem participandam invitabitur; atque suam conabitur fidem manifestare fructibus, quos Spiritus Sanctus in ipso produxerit.

5. Singulis confirmandis patrinus de more adsit, qui illos ad suscipiendum sacramentum adducet, eosdemque ministro Confirmationis ad sacram unctionem præsentabit, necnon postea iuvabit ad promissiones, quas in baptismate protulerunt fideliter exsequendas, secundum Spiritum Sanctum quem acceperunt.

Attentis hodiernis pastoralibus adiunctis, expedit patrinum Baptismi, si adsit, esse etiam patrinum Confirmationis, abrogato can. 796, 1. Ita enim clarius significatur nexus inter Baptismum et Confirmationem, dum munus et officium patrini efficacius redditur.

Minime tamen excluditur facultas patrinum Confirmationis proprium eligendi. Fieri etiam potest, ut parentes ipsi pueros suos præsentent. Ordinarii autem loci erit, attentis rerum et locorum adiunctis, statuere quænam ratio agendi in sua diœcesi sit servanda.

6. Animarum pastores curabunt, ut patrinus, a confirmando vel eius familia electus, officio quod sibi assumit sit spiritualiter idoneus, atque his dotibus præditus:

a) ad hoc munus implendum sit satis maturus;

b) ad Ecclesiam catholicam pertineat, et tribus sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ sit initiatus;

c) ab officio patrini implendo iure non prohibeatur.

7. Confirmationis minister originarius est Episcopus. Sacramentum ex more ab ipso administratur, quo apertius referatur ad primam effusionem Spiritus Sancti in die Pentecostes. Nam postquam repleti sunt Spiritu Sancto, Apostoli ipsi per manuum impositionem fidelibus Eum transmiserunt. Ita acceptio Spiritus Sancti per ministerium Episcopi arctius vinculum demonstrat, quod confirmatos coniungit Ecclesiæ, necnon mandatum acceptum de Christo testimonium inter homines perhibendi.

Præter Episcopum facultate confirmandi ipso iure gaudent:

a) Administrator Apostolicus, qui non sit Episcopus, Prælatus vel Abbas nullius, Vicarius et Præfectus Apostolicus, Vicarius Capitularis, intra limites sui territorii et durante munere;

b) presbyter, qui ex officio sibi legitime tributo adultum aut puerum ætatis catecheticæ baptizat, vel adultum iam valide baptizatum in plenam communionem Ecclesiæ admittit;

c) In mortis periculo, dummodo Episcopus commode haberi non possit vel legitime impediatur, hi qui sequuntur: parochi et vicarii parœciales, in quorum absentia, eorum vicarii cooperatores; presbyteri, qui peculiares parœcias rite constitutas regant; vicarii œconomi; vicarii substituti et vicarii adiutores.[1] In absentia autem omnium prædictorum, omnis sacerdos nulla censura aut canonica pœna irretitus.

8. Ex vera necessitate ac peculiari de causa, uti aliquando propter multitudinem confirmandorum accidit, Confirmationis minister, de quo in n. 7, necnon minister extraordinarius peculiari Apostolicæ Sedis indulto vel a iure constitutus, presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest.

Necesse est ut hi presbyteri:

a) aut peculiari munere vel officio in diœcesi fungantur, scilicet sint aut Vicarii Generales, aut Vicarii sive Delegati episcopales, aut Vicarii districtuales seu regionales,[2] vel qui, Ordinarii mandato, iisdem pares ex officio habeantur;

b) aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quæ confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in præparatione catechetica confirmandorum.

III. De sacramenti celebratione

9. Sacramentum Confirmationis confertur per unctionem chrismatis in fronte, quæ fit manus impositione, atque per verba: Accipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Impositio vero manuum, quæ fit super confirmandos cum oratione Deus omnípotens, etsi ad validam sacramenti collationem non pertinet, magni tamen fiat ad integritatem ritus et pleniorem sacramenti intellegentiam assequendam.

Presbyteri, qui ministro principali aliquando sociantur in conferendo sacramento, manuum impositionem una cum ipso super omnes candidatos simul peragunt, nihil tamen dicentes.

Universus ritus duplicem significationem præbet. Per impositio-

[1] Cf. *Canones* 451, 471, 476, 216 § 4, 472, 474, 475.
[2] Cf. *Can.* 217, § 1.

nem manuum supra confirmandos ab Episcopo ac sacerdotibus concelebrantibus factam, biblicus gestus exprimitur, quo Spiritus Sancti donum invocatur, modo optime aptato intelligentiæ populi christiani. In unctione chrismatis atque in verbis, quæ illam comitantur, clare effectus doni Spiritus Sancti significatur. Oleo odorato per manum Episcopi signatus, baptizatus accipit caracterem indelebilem, signaculum Domini, una cum dono Spiritus, qui perfectius eum Christo configurat, atque gratiam ei confert « odorem bonum » inter homines effundendi.

10. Sacrum Chrisma consecratur ab Episcopo in Missa, quæ ex more feria V Hebdomadæ sanctæ huius rei causa celebratur.

11. Catechumeni adulti necnon pueri qui ætate catecheseos tradendæ baptizantur, simul ac Baptismum receperunt, ad Confirmationem quoque et Eucharistiam ex more admittantur. Quod si fieri nequit, Confirmationem recipiant in alia celebratione communi (cf. n. 4). Item in celebratione communi Confirmationem et Eucharistiam recipiant adulti, qui in infantia baptizati sunt, postquam opportune fuerint præparati.

Ad pueros quod attinet, in Ecclesia latina Confirmationis administratio generatim ad septimum circiter ætatis annum differtur. Ob rationes tamen pastorales, præsertim ad vehementius inculcandam in fidelium vita plenam obtemperationem Christo Domino eiusque firmum testimonium, Conferentiæ Episcopales possunt ætatem, quæ magis idonea videatur, decernere, ita ut hoc sacramentum, post congruam institutionem, ætate maturiore conferatur.

Hoc in casu debitæ adhibeantur cautelæ, ut, si periculum mortis aut alius generis graves difficultates occurrant, pueri tempore opportuno confirmentur, etiam ante usum rationis, ne bono sacramenti priventur.

12. Ad Confirmationem recipiendam requiritur ut quis sit baptizatus. Præterea, si fidelis usu rationis pollet, requiritur, ut in statu gratiæ sit constitutus, sit convenienter instructus et promissiones baptismales valeat renovare.

Conferentiarum Episcopalium est subsidia pastoralia pressius definire, ut candidati, præsertim pueri, ad Confirmationem apte præparentur.

Ad adultos autem quod spectat, principia serventur, opportune aptata, quæ in singulis diœcesibus vigent pro admittendis catechumenis ad Baptismum et Eucharistiam. Provideatur præsertim ut apta

catechesis præcedat ac conversatio candidatorum cum communitate christiana et cum singulis fidelibus efficax et sufficiens sit ad opportunum auxilium illis afferendum, ut ipsi candidati formationem assequantur ad testimonium vitæ christianæ reddendum atque apostolatum exercendum, eorumque desiderium participandi Eucharistiam sit verum (cf. Prænotanda de Initiatione christiana adultorum, n. 19).

Præparatio adulti baptizati ad Confirmationem aliquando incidit in eius præparationem ad Matrimonium. Quoties, his in casibus, prævidetur condiciones, quæ ad fructuosam Confirmationis receptionem requirantur, non posse impleri, Ordinarius loci iudicabit num magis opportunum sit ipsam Confirmationem in tempus post celebratum Matrimonium differre.

Si autem Confirmatio confertur fideli, rationis usu gaudenti et in mortis periculo versanti, præparatio spiritualis singulis in casibus conveniens, ut fieri potest, præmittatur.

13. Confirmatio fit ex more intra Missam, ut magis eluceat fundamentalis connexio huius sacramenti cum tota initiatione christiana, quæ culmen attingit in Communione corporis et sanguinis Christi. Hac ratione confirmati Eucharistiam participant, qua ipsorum initiatio christiana perficitur.

Si autem confirmandi sunt pueri qui nondum receperunt Ss.mam Eucharistiam neque in hac actione liturgica admittuntur ad primam Communionem, aut si peculiaria rerum adiuncta id suadent, conferatur extra Missam. Quoties vero Confirmatio sine Missa confertur, præcedat sacra verbi Dei celebratio.

Quoties Confirmatio intra Missam confertur convenit ut ipse minister Confirmationis Missam celebret, immo concelebret, præsertim cum presbyteris, qui forte ipsi sociantur in sacramento ministrando.

Si Missa ab alio celebratur, convenit ut Episcopus liturgiam verbi præsideat, in qua omnia peragat, quæ ex more celebranti competunt, et in fine Missæ det benedictionem.

Maximi facienda est celebratio verbi Dei, a qua initium sumit ritus Confirmationis. Etenim e verbi Dei auditione promanat multiformis actio Spiritus Sancti in Ecclesiam et in unumquemque baptizatorum seu confirmandorum, eaque voluntas Domini in vita christianorum manifestatur.

Magnum quoque momentum tribuendum est recitationi orationis dominicæ quam confirmandi una cum populo persolvent, sive infra Missam ante Communionem sive extra Missam ante benedictionem habeatur, quia est ipse Spiritus qui orat in nobis, et christianus in Spiritu dicit: « Abba, Pater ».

14. Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem et locum Confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, præter adnotationem in libro baptizatorum ad normam iuris faciendam.

15. Si proprius confirmati parochus non interfuerit, de collata Confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat.

IV. De aptationibus quæ in ritu Confirmationis peragi possunt

16. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63 b), in Ritualibus particularibus parare titulum, qui huic Pontificalis Romani titulo de Confirmatione respondeat, accommodatum singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.[3]

17. Episcoporum Conferentia considerabit num, attentis locorum et rerum adiunctis necnon ingenio et traditionibus populorum, opportunum sit:

a) convenienter aptare formulas, quibus promissiones et professiones baptismales renoventur, sive ad ipsum textum in Ordine Baptismi occurrentem attendendo, sive ipsas formulas accommodando, quo aptius confirmandorum condicioni respondeant;

b) alium modum inducere ad pacem per ministrum dandam post unctionem sive singulis sive omnibus simul confirmatis.

18. Minister autem, singulis in casibus et attenta confirmandorum condicione, monitiones aliquas in ritum introducere poterit, atque iam exstantes opportune accommodare, ex. gr. eas ad modum collocutionis, præsertim cum pueris, proponendo, etc.

Cum Confirmatio a ministro extraordinario, aut ex concessione iuris generalis aut ex peculiari indulto Sedis Apostolicæ, confertur, convenit ut ipse in homilia mentionem habeat de Episcopo ministro originario sacramenti, ac rationem illustret cur etiam presbyteris facultas confirmandi a iure vel ab Apostolicæ Sedis indulto tribuitur.

[3] Cf. *Ordo Baptismi parvulorum,* (Typis Polyglottis Vaticanis 1969), Prænotanda generalia de Initiatione christiana, nn. 30-33, pp. 12-13.

V. DE IIS QUÆ PRÆPARANDA SUNT

19. Ad Confirmationem administrandam parentur:

a) sacræ vestes, quæ ad Missæ celebrationem requiruntur sive pro Episcopo, sive, si adsunt, pro presbyteris eum adiuvantibus, cum Confirmatio confertur intra Missam, quam ipsi concelebrant; si Missa ab alio celebratur, convenit ut Confirmationis minister et presbyteri, qui ei sociantur in sacramento ministrando, Missam participent sacris vestibus induti pro Confirmationis collatione præscriptis, scilicet alba, stola et, pro ministro Confirmationis, pluviali; quæ vestes induuntur etiam cum Confirmatio extra Missam confertur.

b) sedes pro Episcopo, et pro presbyteris eum adiuvantibus;

c) vasculum (vel vascula) cum sacro Chrismate;

d) Pontificale Romanum vel Rituale;

e) ea quæ necessaria sunt ad Missæ celebrationem et, si sacra Communio hac forma distribuitur, pro Communione sub utraque specie, cum Confirmatio intra Missam confertur;

f) ea quæ necessaria sunt ad manus abluendas post unctionem confirmandorum.

CAPUT I

ORDO AD CONFIRMATIONEM INTRA MISSAM CONFERENDAM

20. Liturgia verbi peragitur ad normam rubricarum. Lectiones tamen sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e textibus in Ordine lectionum Missæ (nn. 763-767) propositis et infra (nn. 61-65) notatis.

21. Dicto Evangelio, Episcopus (et presbyteri qui ipsi sociantur) in sede parata sedent. Confirmandi præsentantur a parocho vel ab alio presbytero vel a diacono vel etiam a catechista, secundum morem uniuscuiusque regionis, hoc modo: singuli confirmandi, si fieri potest, nominatim vocantur, singulique accedunt ad presbyterium; si vero sunt pueri, adducuntur ab uno e patrinis vel ab uno e parentibus, et coram celebrante consistunt.

Si confirmandi permulti sunt, nominatim non vocantur; disponuntur tamen loco opportuno coram Episcopo.

Homilia seu allocutio

22. Tunc Episcopus brevem habet homiliam, qua, illustrans ea quæ lecta sunt, confirmandos eorumque patrinos et parentes, ac totum cœtum fidelium veluti manu ducit ad profundius intellegendum Confirmationis mysterium.

Quod facere potest his vel similibus verbis:

Apóstoli, qui die Pentecóstes, secúndum Dómini promissiónem, Spíritum Sanctum accéperant, potestátem habébant opus Baptísmi per donatiónem Spíritus Sancti perficiéndi, sicut légimus in Actibus Apostolórum. Cum sanctus Paulus super quosdam baptizátos manus imposuísset, venit Spíritus Sanctus super eos, et loquebántur linguis et prophetábant.

Epíscopi, Apostolórum successóres, eádem gaudent potestáte, et sive per se sive per presbýteros ad hoc ministérium adimpléndum legítime constitútos, Spíritum Sanctum iis cónferunt, qui per Baptísmum iam sunt regeneráti.

Etsi hódie advéntus Spíritus Sancti dono linguárum non amplius declarátur, fide tamen scimus illum, per quem cáritas Dei in córdibus nostris diffúnditur et in unitáte fídei et

multiplicitáte vocatiónum congregámur, a nobis áccipi invisibilitérque ad sanctificatiónem et unitátem Ecclésiæ operári.

Donátio Spíritus Sancti, quem acceptúri estis, dilectíssimi, signáculum erit spiritále, quo vos Christi confórmes et Ecclésiæ eius membra perféctius fiétis. Spíritu enim Sancto unctus in baptísmate, quod a Ioánne recépit, ipse Christus missus est ad opus ministérii sui, ut eiúsdem Spíritus ignem in terram effúnderet.

Vos ergo, qui iam baptizáti estis, nunc accipiétis virtútem Spíritus eius et cruce eius in fronte signabímini. Testimónium ígitur Passiónis et Resurrectiónis eius coram mundo perhibére debébitis, ita ut conversátio vestra, ut ait Apóstolus, sit in omni loco bonus odor Christi. Cuius mýsticum corpus, quod est Ecclésia, Dei pópulus, divérsas ab eo áccipit grátias, quas idem Spíritus Sanctus síngulis dívidit ad ædificatiónem córporis in unitáte et caritáte.

Estóte ergo membra viva huius Ecclésiæ et, sub ductu Spíritus Sancti, ómnibus servíre studéte, sicut Christus, qui non venit ministrári, sed ministráre.

Nunc autem, priúsquam Spíritum accipiátis, mementóte fídei, quam in Baptísmate proféssi estis vel paréntes et patríni vestri cum Ecclésia proféssi sunt.

Renovatio promissionum baptismalium

23. Postea Episcopus interrogat confirmandos, qui omnes simul stant, dicens:

Abrenuntiátis Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Confirmandi omnes simul respondent:

Abrenúntio

Episcopus:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem, qui hódie, per sacraméntum Confirmatiónis, vobis, sicut Apóstolis die Pentecóstes, singulári modo confértur?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Confirmandi:

Credo.

Cui professioni assentitur Episcopus, proclamans fidem Ecclesiæ:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Et cœtus fidelium assentitur respondendo:

Amen.

Pro formula Hæc est fides nostra aliam substitui licet pro opportunitate, vel etiam cantum aptum, quo communitas una voce fidem suam exprimere possit.

Impositio manuum

24. Deinde Episcopus (habens apud se presbyteros qui ipsi sociantur) stans, manibus iunctis, versus ad populum, dicit:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fílios adoptiónis suæ,
iam in Baptísmate ætérnæ vitæ renátos,
Spíritum Sanctum benígnus effúndat,
qui illos abundántia suórum confírmet donórum,
et unctióne sua Christi, Fílii Dei, confórmes perfíciat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

25. Deinde Episcopus (et presbyteri qui ipsi sociantur) manus super omnes confirmandos imponunt. Solus autem Episcopus dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hos fámulos tuos regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eos a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eos Spíritum Sanctum Paráclitum;
da eis spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eos spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Chrismatio

26. Tunc Episcopo offertur a diacono sanctum Chrisma. Unusquisque confirmandorum accedit ad Episcopum; vel pro opportunitate ipse Episcopus accedit ad singulos confirmandos. Qui autem confirmandum præsentavit, ponit manum dexteram super umerum eius et dicit Episcopo nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen dicit.

27. Episcopus, summitate pollicis dexteræ manus in Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Et confirmatus respondet:

Amen.

Episcopus subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

28. Si autem presbyteri Episcopum adiuvant ad conferendum Sacramentum, omnia vascula sancti Chrismatis a diacono vel a ministris Episcopo offeruntur, qui ea præbet unicuique ex presbyteris ad se accedenti.

Confirmandi accedunt ad Episcopum vel ad presbyteros; aut pro opportunitate Episcopus et presbyteri accedunt ad confirmandos, qui unguntur modo supra descripto (n. 27).

29. Inter unctionem cani potest aliquis cantus aptus. Post unctionem Episcopus (et presbyteri) lavat manus.

Oratio universalis

30. Sequitur oratio universalis, hac vel simili forma a competente auctoritate statuta facienda.

Episcopus:

Deum Patrem omnipoténtem, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur; unánimis sit orátio nostra, sícuti una sunt fides, spes et cáritas, quæ a Spíritu eius Sancto procédunt.

Diaconus vel minister:

Pro iis fámulis suis,
quos donátio Spíritus Sancti confirmávit:
ut, in fide radicáti et in caritáte fundáti,
Christo Dómino testimónium sua conversatióne perhíbeant,
Dóminum precémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Pro paréntibus et patrínis eórum:
ut, quibus fídei sponsóres se præbuérunt,
eos ad sequénda Christi vestígia
verbo et exémplo hortári non désinant,
Dóminum precémur.

℞. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Pro Ecclésia sancta Dei, una cum Papa nostro N.,
Episcopo nostro N.
et Epíscopis univérsis:
ut, Spíritu Sancto congregáta,
in unitáte fídei et caritátis
usque ad advéntum Dómini dilatétur et crescat,
Dóminum precémur.

℞. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Pro mundo univérso:
ut omnes hómines, qui unum habent Auctórem et Patrem,
sese fratres sine discrímine géneris
vel natiónis agnóscant,
et regnum Dei, quod est pax et gáudium in Spíritu Sancto,
sincéro corde requírant,
Dóminum precémur.

℞. Te rogámus, audi nos.

Episcopus:

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum,
et per eos eorúmque successóres
céteris fidélibus tradéndum esse voluísti,
exáudi propítius oratiónem nostram et præsta,
ut quod in ipsis evangélicæ prædicatiónis exórdiis

tua est operáta dignátio,
nunc quoque per credéntium corda diffúndat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Liturgia eucharistica

31. Absoluta oratione universali, proceditur ad liturgiam eucharisticam, secundum Ordinem Missæ, præter ea quæ infra notantur:

a) Symbolum omittitur, cum professio fidei iam facta sit;

b) nonnulli e confirmatis se possunt cum iis coniungere, qui oblata deferunt;

c) quando adhibetur Canon Romanus, dicitur **Hanc ígitur** proprium.

32. Confirmati adulti et, pro opportunitate, eorum patrini, parentes, coniuges et catechistæ Communionem recipere possunt sub utraque specie.

Benedictio

33. Loco benedictionis consuetæ, in fine Missæ adhibetur benedictio, quæ sequitur, vel oratio super populum.

Benedícat vos Deus Pater omnípotens,
qui vos, ex aqua et Spíritu Sancto renátos,
fílios suæ adoptiónis effécit,
et dignos sua patérna dilectióne custódiat.
℟. Amen.

Benedícat vos Fílius eius unigénitus,
qui Spíritum veritátis
in Ecclésia mansúrum esse promísit,
et vos in confessióne veræ fídei sua virtúte confírmet.
℟. Amen.

Benedícat vos Spíritus Sanctus,
qui ignem caritátis in córdibus discipulórum accéndit,
et vos, in unum congregátos,
ad gáudium regni Dei sine offensióne perdúcat.
℟. Amen.

Et statim additur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Oratio super populum

Loco formulæ benedictionis prædictæ, adhiberi potest oratio super populum.

Diaconus vel minister dicit invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliud.

Deinde Episcopus manibus super populum extensis, dicit:

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis,
et Spíritus Sancti dona
in córdibus tuórum custódi fidélium,
ut et Christum crucifíxum
coram mundo confitéri non erubéscant,
et mandáta eius devóta caritáte perfíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et statim addit:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

CAPUT II

ORDO AD CONFIRMATIONEM SINE MISSA CONFERENDAM

Ritus introitus

34. Confirmandis cum patrinis et parentibus et omni cœtu fidelium congregatis, Episcopus cum (presbyteris qui ipsi sociantur et) uno vel pluribus diaconis et ministris accedit ad presbyterium, omnibus psalmum vel cantum aptum pro opportunitate cantantibus.

35. Facta, una cum ministris, debita reverentia altari, Episcopus salutat cœtum congregatum:

Pax vobis.

Omnes:

Et cum spíritu tuo.

Deinde dicit orationem:

Orémus.

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus,
ut Spíritus Sanctus advéniens
templum nos glóriæ suæ
dignánter inhabitándo perfíciat.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 58, 59, 60.

Verbi Dei celebratio

36. Fit deinde sacra verbi Dei celebratio, in qua legitur saltem una e pericopis, quæ pro Missa Confirmationis proponuntur (cf. n. 61-65).

37. Si duæ vel tres lectiones seliguntur, ordo lectionum traditus servetur, hoc est ex Vetere Testamento, ex Apostolo, ex Evangelio. Post primam et secundam lectionem ponatur psalmus vel alius cantus, cuius loco tamen etiam sacrum silentium servari potest.

38. Lectionibus expletis, Episcopus (et presbyteri qui ipsi sociantur) in sede parata sedent. Confirmandi præsentantur a parocho, vel ab alio presbytero vel a diacono vel etiam a catechista, secundum morem uniuscuiusque regionis, hoc modo: singuli confirmandi, si

fieri potest, nominatim vocantur, singulique accedunt ad presbyterium; si vero sunt pueri, adducuntur ab uno e patrinis vel ab uno e parentibus, et coram celebrante consistunt.

Si confirmandi permulti sunt, nominatim non vocantur; disponuntur tamen loco opportuno coram Episcopo.

Homilia seu allocutio

39. Tunc Episcopus brevem habet homiliam, qua, illustrans ea quæ lecta sunt, confirmandos eorumque patrinos et parentes, ac totum cœtum fidelium veluti manu ducit ad profundius intellegendum Confirmationis mysterium.

Quod facere potest his vel similibus verbis:

Apóstoli, qui die Pentecóstes, secúndum Dómini promissiónem, Spíritum Sanctum accéperant, potestátem habébant opus Baptísmi per donatiónem Spíritus Sancti perficiéndi, sicut légimus in Actis Apostolórum. Cum sanctus Paulus super quosdam baptizátos manus imposuísset, venit Spíritus Sanctus super eos, et loquebántur linguis et prophetábant.

Epíscopi, Apostolórum successóres, eádem gaudent potestáte, et sive per se sive per presbýteros ad hoc ministérium adimpléndum legítime constitútos, Spíritum Sanctum iis cónferunt, qui per Baptísmum iam sunt regeneráti.

Etsi hódie advéntus Spíritus Sancti dono linguárum non amplius declarátur, fide tamen scimus illum, per quem cáritas Dei in córdibus nostris diffúnditur et in unitáte fídei et multiplicitáte vocatiónum congregámur, a nobis áccipi invisibilitérque ad sanctificatiónem et unitátem Ecclésiæ operári.

Donátio Spíritus Sancti, quem acceptúri estis, dilectíssimi, signáculum erit spiritále, quo vos Christi confórmes et Ecclésiæ eius membra perféctius fiétis. Spíritu enim Sancto unctus in baptísmate, quod a Ioánne recépit, ipse Christus missus est ad opus ministérii sui, ut eiúsdem Spíritus ignem in terram effúnderet.

Vos ergo, qui iam baptizáti estis, nunc accipiétis virtútem Spíritus eius et cruce eius in fronte signabímini. Testimónium ígitur Passiónis et Resurrectiónis eius coram mundo perhibére debébitis, ita ut conversátio vestra, ut ait Apóstolus, sit in omni loco bonus odor Christi. Cuius mýsticum corpus, quod est Ecclésia, Dei pópulus, divérsas ab eo áccipit grátias, quas idem Spíritus Sanctus síngulis dívidit ad ædificatiónem córporis in unitáte et caritáte.

Estóte ergo membra viva huius Ecclésiæ et, sub ductu Spíritus Sancti, ómnibus servíre studéte, sicut Christus, qui non venit ministrári, sed ministráre.

Nunc autem, priúsquam Spíritum accipiátis, mementóte fídei quam in Baptísmate proféssi estis vel paréntes et patríni vestri cum Ecclésia proféssi sunt.

Renovatio promissionum baptismalium

40. Postea Episcopus interrogat confirmandos, qui omnes simul stant, dicens:

Abrenuntiátis Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Confirmandi omnes simul respondent:

Abrenúntio.

Episcopus:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem, qui hódie, per sacraméntum Confirmatiónis, vobis, sicut Apóstolis die Pentecóstes, singulári modo confértur?

Confirmandi:

Credo.

Episcopus:

Créditis in sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Confirmandi:

Credo.

Cui professioni assentitur Episcopus, proclamans fidem Ecclesiæ:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Et cœtus fidelium assentitur respondendo:

Amen.

Pro formula Hæc est fides nostra alia substitui licet pro opportunitate, vel etiam cantus aptus, quo communitas una voce fidem suam exprimere possit.

41. Deinde Episcopus (habens apud se presbyteros qui ipsi sociantur), stans, manibus iunctis, versus ad populum, dicit:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fílios adoptiónis suæ,
iam in Baptísmate ætérnæ vitæ renátos,
Spíritum Sanctum benígnus effúndat,
qui illos abundántia suórum confírmet donórum,
et unctióne sua Christi, Fílii Dei, confórmes perfíciat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Impositio manuum

42. Deinde Episcopus (et presbyteri qui ipsi sociantur) manus super omnes confirmandos imponunt. Solus autem Episcopus dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hos fámulos tuos regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eos a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eos Spíritum Sanctum Paráclitum;
da eis spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eos spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Chrismatio

43. Tunc Episcopo offertur a diacono sanctum Chrisma. Unusquisque confirmandorum accedit ad Episcopum; vel pro opportunitate ipse Episcopus accedit ad singulos confirmandos. Qui autem confirmandum præsentavit, ponit manum dexteram super umerum eius et dicit Episcopo nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen dicit.

44. Episcopus, summitate pollicis dexteræ manus in Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Et confirmatus respondet:

Amen.

Episcopus subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

45. Si autem presbyteri Episcopum adiuvant ad conferendum Sacramentum, omnia vascula sancti Chrismatis a diacono vel a ministris Episcopo offeruntur, qui ea præbet unicuique ex presbyteris ad se accedenti.

Confirmandi accedunt ad Episcopum vel ad presbyteros; aut pro opportunitate Episcopus et presbyteri accedunt ad confirmandos, qui unguntur modo supra descripto (n. 44).

46. Inter unctionem cani potest aliquis cantus aptus. Post unctionem Episcopus (et presbyteri) lavat manus.

Oratio universalis

47. Sequitur oratio universalis, hac vel simili forma a competente auctoritate statuta facienda.

Episcopus:

Deum Patrem omnipoténtem, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur; unánimis sit orátio nostra, sícuti una sunt fides, spes et cáritas, quæ a Spíritu eius Sancto procédunt.

Diaconus vel minister:

Pro iis fámulis suis,
quos donátio Spíritus Sancti confirmávit:
ut, in fide radicáti et in caritáte fundáti,
Christo Dómino testimónium sua conversatióne perhíbeant,
Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Pro paréntibus et patrínis eórum:
ut, quibus fídei sponsóres se præbuérunt,
eos ad sequénda Christi vestígia
verbo et exémplo hortári non désinant,
Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Pro Ecclésia sancta Dei, una cum Papa nostro N.,
Epíscopo nostro N.

et Epíscopis univérsis:
ut, Spíritu Sancto congregáta,
in unitáte fídei et caritátis
usque ad advéntum Dómini dilatétur et crescat,
Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:
Pro mundo univérso:
ut omnes hómines, qui unum habent Auctórem et Patrem,
sese fratres sine discrímine géneris
vel natiónis agnóscant,
et regnum Dei, quod est pax et gáudium in Spíritu Sancto,
sincéro corde requírant,
Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

Episcopus:
Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum,
et per eos eorúmque successóres
céteris fidélibus tradéndum esse voluísti,
exáudi propítius oratiónem nostram et præsta,
ut quod in ipsis evangélicæ prædicatiónis exórdiis
tua est operáta dignátio,
nunc quoque per credéntium corda diffúndat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Recitatio orationis dominicæ

48. Dicitur deinde ab omnibus oratio dominica, quæ ab Episcopo his vel similibus verbis introduci potest:

Colligámus, dilectíssimi, preces nostras,
orántes una simul,
uti Dóminus noster Iesus Christus oráre nos dócuit.

Omnes:
Pater noster, etc.

Benedictio

49. Postea Episcopus omnes benedicit. Loco benedictionis consuetæ, adhibetur benedictio, quæ sequitur, vel oratio super populum.

Benedícat vos Deus Pater omnípotens,
qui vos, ex aqua et Spíritu Sancto renátos,
fílios suæ adoptiónis effécit,
et dignos sua patérna dilectióne custódiat.

℟. Amen.

Benedícat vos Fílius eius unigénitus,
qui Spíritum veritátis
in Ecclésia mansúrum esse promísit,
et vos in confessióne veræ fídei sua virtúte confírmet.

℟. Amen.

Benedícat vos Spíritus Sanctus,
qui ignem caritátis in córdibus discipulórum accéndit,
et vos, in unum congregátos,
ad gáudium regni Dei sine offensióne perdúcat.

℟. Amen.

Et statim additur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Oratio super populum

Loco formulæ benedictionis prædictæ, adhiberi potest oratio super populum.

Diaconus vel minister dicit invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliud.

Deinde Episcopus, manibus super populum extensis, dicit:

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis,
et Spíritus Sancti dona
in córdibus tuórum custódi fidélium,
ut et Christum crucifíxum
coram mundo confitéri non erubéscant,
et mandáta eius devóta caritáte perfíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et statim addit:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

CAPUT III

DE IIS QUÆ SERVANDA SUNT QUOTIES CONFIRMATIO CONFERTUR A MINISTRO EXTRAORDINARIO

50. Minister extraordinarius, qui, aut ex concessione iuris generalis aut ex peculiari indulto Sedis Apostolicæ, Confirmationem confert, eundem ritum servat supra descriptum.

51. Si autem propter multitudinem confirmandorum, aliquos presbyteros ad sacramentum administrandum sibi sociat, hos eligat, servatis iis quæ supra, n. 8, statuuntur. Expedit hos presbyteros, si Confirmatio intra Missam conferatur, etiam Missam cum ipso concelebrare.

CAPUT IV

DE CONFIRMATIONE ÆGROTO IN PERICULO MORTIS CONSTITUTO MINISTRANDA

52. Cum maxime consentaneum sit, ut cuiusque baptizati initiatio christiana sacramentis Confirmationis et Eucharistiæ perficiatur, fideli ægrotanti in mortis periculo constituto, si rationis usum sit adeptus, suadeatur, ut, antequam Viaticum accipiat, sacramento etiam Confirmationis roboretur, possibili et necessaria præmissa catechesi.

Confirmatio tamen in periculo mortis et Unctio infirmorum, de more, ritu continuo non sunt conferendæ.

Puero autem qui rationis usum nondum sit adeptus, Confirmatio conferatur iisdem principiis ac normis servatis, quæ pro conferendo Baptismate sunt statuta.

53. Quoties adiuncta id permittunt integer ritus servetur, prouti supra describitur.

54. Urgente vero necessitate, Confirmationis minister imponit manus super ægrotum, dicens:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hunc fámulum tuum regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eum a peccáto,

tu, Dómine, immítte in eum Spíritum Sanctum Paráclitum;
da ei Spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
Spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eum Spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

55. Deinde, summitate pollicis dexteræ manus in Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Et confirmatus, si potest, respondet:

Amen.

Alia elementa præparationis et conclusionis addi possunt, singulis in casibus, attentis omnibus adiunctis.

56. In extrema autem necessitate, sufficit ut peragatur chrismatio cum formula sacramentali:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

CAPUT V

TEXTUS IN CONFERENDA CONFIRMATIONE ADHIBENDI

I. Missa in conferenda Confirmatione

57. Hæc Missa dicitur, cum colore rubro vel albo, quando in ipsa Missa aut immediate ante vel post ipsam Missam confertur Confirmatio.

Adhiberi autem potest omnibus diebus, exceptis dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sollemnitatibus, atque feriis IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

A

58.

Ant. ad introitum — Ez 36, 25-26

Dicit Dóminus: Effúndam super vos aquam mundam, et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens et míséricors Deus,
ut Spíritus Sanctus advéniens
templum nos glóriæ suæ
dignánter inhabitándo perfíciat.
Per Dóminum.

Vel:

Promissiónem tuam, quǽsumus, Dómine,
super nos propitiátus adímple,
ut Spíritus Sanctus advéniens
nos coram mundo testes effíciat
Evangélii Dómini nostri Iesu Christi.
Qui tecum vivit.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 59, 60.

Super oblata

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine,
súscipe vota cleménter, et præsta,
ut, Fílio tuo perféctius configuráti,
in testimónium eius indesinénter accréscant,
memoriále participántes redemptiónis eius,
qua Spíritum tuum nobis ipse proméruit.
Qui vivit.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro iis quoque,
quos, Baptísmate regenerátos,
confirmáre dignátus es donatióne Spíritus Sancti,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propitiátus in eis tuam grátiam custódias.
Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ant. ad communionem — Cf. Hebr 6, 4

Quicúmque illumináti estis, qui gustástis donum cæléste,
et partícipes facti estis Spíritus Sancti,
gaudéte omnes in Dómino.

Post communionem

Spíritu Sancto, Dómine, perúnctos
tuíque Fílii sacraménto nutrítos
tua in pósterum benedictióne proséquere,
ut, ómnibus adversitátibus superátis,
Ecclésiam tuam sanctitáte lætíficent,
eiúsque in mundo increménta
suis opéribus et caritáte promóveant.
Per Christum.

B

59.

Ant. ad introitum Cf. Rom 5, 5; 8, 11

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum eius in nobis.

Collecta

Spíritum Sanctum tuum, quǽsumus, Dómine,
super nos dignánter effúnde,
ut omnes, in unitáte fídei ambulántes
et caritátis eius fortitúdine roboráti,
ad mensúram ætátis plenitúdinis Christi occurrámus.
Per Dóminum.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 58, 60.

Super oblata

Hos fámulos tuos, Dómine,
una cum Unigénito tuo benígnus admítte,
ut, qui eius cruce spiritalíque sunt unctióne signáti,
se tibi cum ipso iúgiter offeréntes,
largiórem in dies effusiónem tui Spíritus mereántur.
Per Christum.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium, ut in Missa præcedente.

Ant. ad communionem Ps 33, 6. 9

Accédite ad Dóminum et illuminámini:
gustáte et vidéte quóniam suávis est.

Post communionem

Quos tui Spíritus, Dómine, cumulásti munéribus,
tuíque auxísti Unigéniti nutriménto,
fac étiam in plenitúdine legis instrúctos,

ut coram mundo tuæ libertátem adoptiónis
iúgiter maniféstent
et prophéticum tui pópuli munus
sua váleant sanctitáte præbére.
Per Christum.

60. II. ALIÆ ORATIONES, PRO OPPORTUNITATE ADHIBENDÆ

Collecta

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine,
Paráclitus qui a te procédit illúminet,
et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.
Qui tecum vivit.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, oblatiónem famíliæ tuæ,
ut, qui donum Spíritus Sancti suscepérunt,
et colláta custódiant, et ad ætérna prǽmia pervéniant.
Per Christum.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno pane cælésti satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

III. LECTIONES BIBLICÆ

61. LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

1. Is 11, 1-4 a: « Requiescet super eum Spiritus Domini ».
In die illa: Egredietur virga de radice Iesse ... 4 usque ad mansuetis terræ.

2. Is 42, 1-3: « Dedi Spiritum meum super servum meum ».
Hæc dicit Dominus: Ecce servus meus ...

3. Is 61, 1-3 a. 6 a. 8 b-9: « Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me, et dare eis oleum gaudii ».
Spiritus Domini super me ... 3 usque ad spiritu mæroris. 6 usque ad dicetur vobis. 8 Dabo opus eorum ...

4. Ez 36, 24-28: « Spiritum novum ponam in medio vestri ».
Hæc dicit Dominus Deus: Tollam vos de gentibus ...

5. Ioel 2, 23 a. 26-30 a (Hebr 2, 23 a; 3, 1-3 a): « Super servos meos et ancillas effundam Spiritum meum ».
Filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro. Comedetis vescentes ... 30 usque ad et in terra.

62. Lectiones e Novo Testamento

1. Act 1, 3-8: « Accipietis virtutem superveniente Sancto Spiritu in vos, et eritis mihi testes ».
Apostolis suis præbuit Iesus seipsum vivum post passionem suam ...

2. Act 2, 1-6. 14. 22 b-23. 32-33: « Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui ».
Cum compleretur dies Pentecostes ... 22 Iesum Nazarenum ...

3. Act 8, 1. 4. 14-17: « Imposuerunt manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum ».
Facta est in illa die persecutio magna ...

4. Act 10, 1. 33-34 a. 37-44: « Cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum ».
In diebus illis: Vir quidam in Cæsarea ... 33 Qui dixit ad Petrum: Misi ad te ... 34 usque ad dixit.

5. Act 19, 1 b-6 a: « Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? »
Factum est ut Paulus veniret Ephesum ... 6 usque ad super eos.

6. Rom 5, 1-2. 5-9: « Caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ».
Fratres: Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum ...

7. Rom 8, 14-17: « Spiritus testimonium reddit una cum spiritu nostro quod sumus filii Dei ».
Fratres: Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt ...

8. Rom 8, 26-27: « Ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus ».
Fratres: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram ...

9. 1 Cor 12, 4-13: « Unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult ».
Fratres: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus ...

10. Gal 5, 16-17. 22-23 a. 24-25: « Si vivimus Spiritu, Spiritu et ambulemus ».
Fratres: Spiritu ambulate ... 23 usque ad continentia.

11. Eph 1, 3 a. 4 a. 13-19 a: « Signati estis Spiritu promissionis Sancto ».
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi: 4 elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. 13 In quo et vos ... 19 usque ad in nos qui credimus.

12. Eph 4, 1-6: « Unum corpus et unus Spiritus, unum baptisma ».
Fratres: Obsecro vos ego, vinctus in Domino ...

63. Psalmi Responsorii

1. Ps 21, 23-24. 26-27. 28 et 31-32
℟. (23): Narrabo nomen tuum fratribus meis.
vel (Io 15, 26): Cum venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me.

2. Ps 22, 1-3 a. 3 b-4. 5-6
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

3. Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 9-10 a. 11-12
℟. (3): Annuntiate in omnibus populis mirabilia Dei.

4. Ps 103, 1 ab et 24. 27-28. 30-31. 33-34
℟. (30): Emitte Spiritum tuum, Domine, et rénova faciem terræ.

5. Ps 116, 1. 2
℟. (Act 1, 8): Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ.
vel Alleluia.

6. Ps 144, 2-3. 4-5. 8-9. 10-11. 15-16. 21
℟. (1 b): Benedicam nomini tuo, Domine, in sæculum.

64. Alleluia et Versus ante Evangelium

1. Io 14, 16: Pater alium Paraclitum dabit vobis, dicit Dominus,
ut maneat vobiscum in æternum.

2. Io 15, 26 b. 27 a: Spiritus veritatis testimonium perhibebit de me, dicit Dominus,
sed et vos testimonium perhibetis.

3. Io 16, 13 a; 14, 26 b: Cum venerit Spiritus veritatis, ducet vos in omni veritate,
et suggeret vobis omnia quæ dixi vobis.

4. Ap 1, 5 a. 6: Iesu Christe, testis fidelis, primogenite mortuorum, fecisti nos regnum et sacerdotes Deo et Patri nostro.

5. Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium,
et tui amoris in eis ignem accende.

6. Veni, Sancte Spiritus,
et emitte cælitus lucis tuæ radium.

65. EVANGELIA

1. Mt 5, 1-12 a: « Ipsorum est Regnum cælorum ».
In illo tempore: Videns Iesus turbas ... 12 usque ad copiosa est in cælis.

2. Mt 16, 24-27: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis ...

3. Mt 25, 14-30: « Super pauca fuisti fidelis: intra in gaudium domini tui ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens ...

4. Mc 1, 9-11: « Vidit Spiritum descendentem in ipsum ».
In diebus illis, venit Iesus a Nazareth Galilææ ...

5. Lc 4, 16-22 a: « Spiritus Domini super me ».
In illo tempore: Venit Iesus Nazareth ... 22 usque ad de ore ipsius.

6. Lc 8, 4-10 a. 11 b-15: « Qui in bonam terram, hi sunt qui verbum retinent et fructum afferunt in patientia ».
In illo tempore: Cum turba plurima conveniret et de singulis civitatibus properarent ad Iesum, dixit ... 10 Quibus ipse dixit: 11 Semen est verbum Dei ...

7. Lc 10, 21-24: « Confiteor tibi, Pater, quod revelasti ea parvulis ».
In illo tempore: Exsultavit Iesus Spiritu Sancto ...

8. Io 7, 37 b-39: « Flumina fluent aquæ vivæ ».
In illo tempore: Clamavit Iesus dicens: Si quis sitit ...

9. Io 14, 15-17: « Spiritus veritatis apud vos manet ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me ...

10. Io 14, 23-26: « Spiritus Sanctus vos docebit omnia ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me ...

11. Io 15, 18-21. 26-27: « Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, testimonium perhibebit de me ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si mundus vos odit ...

12. Io 16, 5 b-7. 12-13 a (Gr 5-7. 12-13 a): « Spiritus veritatis ducet vos in omni veritate ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nunc vado ad eum qui me misit ... 13 usque ad in omni veritate.

INDEX

ISBN 88-209-0312-1



€ 7,00